Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dedicaretur. atque ita utrumque repperiatur utrumque et templum videlicet octa
vo mense in opere suo atque utensilibus perfectum et ipsum .vii.mo mense dedicatum.
Misit quoque rex Salomon et tulit Hyram de Tyro filium mulieris viduae
de tribu Nepthali patre Tyrio artificem aerarium. et plenum sapientia
et intellegentia et doctrina ad faciendum omne opus ex aere. qui cum venisset
ad regem Salomonem fecit omne opus eius. Et hoc mysterii gratia factum est.
Artifex quippe Tyrius quem adiutorem Salomon sui adsumpsit operis. elec
tos de gentibus verbi ministros significat. Qui videlicet artifex pul
chre dicitur: quia filius erat mulieris viduae de Israhel in qua persona solet non
numquam praesentis temporis ecclesia figurari. pro qua vir suus videlicet Christus e
morte gustata resurrexit. atque in caelos ascendens eam interim peregri
nantem a se reliquit in terris. Non autem laborandum in explanando quomodo
huius viduae filii sancti sint praedicatores. cum omnes electi veritatis se filios
esse fateantur ecclesiae. cum etiam de eisdem praedicatoribus novi testamenti specialiter
ei promittatur. dicente propheta: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. constitues
eos principes super omnem terram. Fecit autem Hyram omne opus Salomonis.
Quia nimirum doctores sancti dum ministerio verbi fideliter insistunt. opus
utique Dei operantur. quo illis loquendo foris viam veritatis aperiunt.
quos intus illustrando ipse ad vitam praeordinavit aeternam. Ego inquit plan
tavi Apollo rigavit. Deus autem incrementum dedit. Fecit hoc opus ex aere.
quia illis committere verbum quaerit doctor strenuus. qui hoc pie
suscipere ac perseveranter custodire desiderent. quique etiam aliis praedi
cando latius diffamare quaeque ipsi didicerint recta satagunt. Aeris
namque metallum valde esse durabile constat atque omnium sonorum. Et
finxit duas columnas aereas. et viii.to cubitorum altitudinis columnam
utramque. Hae sunt columnae de quibus Paulus ait. Iacobus Cephas et Iohannes qui
videbantur columnae esse dextras dederunt mihi et Barnabae societatis.
ut nos in gentibus. illi autem in circumcisionem. Quibus verbis quasi exponere
videtur mysterium columnarum materialium. et quod videlicet figuraverint